

tatem pandat, actionesque dirigat, ad se pertinentes, merebitur illa habitus practici nomen.

§. II. Colligo iam ita: Cuiuscunque habitus est a) principium cognoscendi practicum; b) Subiectum quo practicum; c) Subiectum considerationis practicum; d) Subiectum operationis practicum; e) & internus & externus finis practicus: illum ipsum habitum, oportet, esse practicum. Atqui Phariseorum. Ergo. Maior probatione non indiget. Minor a) Illud est verbum Dei, b) intellectus practicus; c) religio, quae est practica; d) homo, ad salutem perducendus; e) operatio Theologiae & fides, quae omnia practica esse, nemo negabit. Singula autem ex oraculo vel ἡγιεῖς, vel κατὰ διάνοιαν ostendere, in procliui est.

§. 3. Falluntur itaque omnes, qui vel *Theologiam fidem ipsam esse*, vel, *practicam, a praxi fidei, & sanctimoniam*, dici, putant. Hac ratione neque Phariseorum ex parte, neque orthodoxorum impiorum ex toto habitus foret practicus. At enim fides a) est finis non internus, ut visum est CALIXTO in Epit. Theol. num. VI. p. 6. sed externus, qui non est in potestate artificis semper; sed enim neque finis internus cum reipsa est confundendus. b) fides *Christianismum* constituit, non *Theologiae habitum*, quae duo non sunt temere confundenda. c) fide saluifica, de qua sermo, Christus caruit, quis vero eius Theologiam theoreticam dixerit? d) fide infantes etiam, aliique homines rudiores, praediti esse possunt, quis vero his Theologiam vindicabit? Sanctimonia autem vitae, vel charitas tantum abest, ut Theologiam constituat, vt potius etiam de eo, num *essentialē partē Christianismi faciat, & non sit potius officium, Christianum aliquem declarans*, valde disputari, immo dubitari possit. LUTHERVS certe Tom. VII. A. p. 727. hunc in modum: *Der Glaube / inquit, macht allein die Christen / ergo*